Quelle: http://manuscripta.at/?ID=5639
Copyright: Herzogenburg, Augustiner-Chorherrenstift

Ubi autem quicunque vestrum videt
aliquid sibi deesse, doleat de preterito caveat
de futuro: oret ut sibi et debitum dimittatur
et in temptationem non inducatur: ipso
auxiliante qui vivit et regnat deus per
omnia secula seculorum. Amen.

Explicit Regula beati Augustini epi(scopi)
Anno domini Millesimo Quingentesimo
septimo In die Sancte Ursule virginis
et martiris

Sequitur Conclusio

Multa sane differentia inter renunciantes
seculo. Illi ergo qui renunciant alii more
apostolorum alii Jude alii Ananie et Saphire
et alii Jezi. Qui cum cuncta que sunt huius
seculi ad imitationem apostolorum pro deo dimittunt
causa solius eterne vite. Illi cum apostolis laudabuntur
et remunerabuntur. Qui autem possessionibus de secularis con-
versatione transeunt de rebus monasterii fraudem
facere presumunt Judas sunt et pena Jude apud
inferos multabuntur. Qui autem de secularis
possessione ad dei servitium convertuntur si ea que in
seculo habuerunt partim distribuunt partim
sibi servant non credentes quod dominus eis in cursu huius
vite ministrare possit victum et vestitum et cetera necessaria
isti sunt maledictorum cum Anania et Saphira ex-
cipiunt. Qui vero in monasterium transit et quod in
seculo non habuit ibi habere quesierit sine dubio
lepra Jezi adherebit ei et quod ille in corpore habuit
iste in anima patet. Qua propter hec vobis ca//